

præfens articulus sancit, sed etiam constans est Doctorum traditio, Julius Clarus *l. 5. sent. §. fin. qv. 21. n. 31. fol. 525.* ait: *Confessio extrajudicialis contra confitentem sufficiens facit indicium ad torturam.* Quam quoque communem esse opinionem ibidem ipse fatetur. Petr. Binsfeld *ad l. fin. C. de Malef. & Mathem.* Jacob. Menoch *lib. 1. qv. 89. num. 14. fol. 108. de Presumpt.* Gometz. *Tom. 2. lib. 3. Var. resolut. c. 13. n. 8. pag. 571.* Et videtur ante conditam hanc Constitutionem inter Doctores recepta fuisse sententia, quod extrajudicialiter confessus se faciat suspectum, ejusque confessio præbeat indicium ad torturam. Ratio est, quia verba prolata testantur de animo, quod ita sentiat, uti verba sonant: Et uti Bernard Zieriz. *ad b. art. notat. fol. 49.* Talis est animus dicentis, quam verba præ se ferunt. Deinde non est præsumptio, quod quispiam, qui sanæ mentis est, talia velit loqui, ob quæ ipse possit in vitæ periculum incidere: nisi sciret & in conscientia convictus esset, quod ejusmodi crimen perpetrasset. Addit Menochius *lib. 1. qv. 89. n. 14. 15. fol. 108. de Presumption.* quod Confessio extrajudicialis faciat semiplenam probationem: sed semiplenam probationem facere indicium ad torturam, dictum est *artic. 30.*

Cæterum Henricus Bocerus *in lib. de Quæstion. c. 3. n. 24. p. 147.* contradicit vehementer isti sententiæ, quod sola confessio extrajudicialis indicium facere possit ad torturam. Fundamentum suum ponit (1) *in l. 58. §. fin. ff. de Edil. Edicto.* E qua lege concludit Bocerus: Ne in civili quidem causa confessionem extrajudicialem sufficiens indicium ad torturam esse, sed adhuc & alia requiri indicia (2) affert *lib. 1. §. 17. ff. de Quæst.* Ubi ex istis verbis: *Si nulla probatio &c.* infert: solam rei confessionem idoneum indicium criminis non esse, sed præter eam exigi & aliam probationem, & aliud indicium requiri. (3) Justinianus Imperator *in l. 22. pr. C. de Agricol. & Censit lib. 11.* manifestò cavet, ne quis è sola sua confessione extraordinaria ad deteriores detrahatur fortunam. Quæ Boceri doctrina, si de nuda & sola extrajudiciali confessione ipsi sermo est, non videtur falsa. Nam, uti Carpzov. *part. 3. qv. 121. n. 44 p. 190. Pract. Crimin.* rectè admonet: *Nuda confessio extrajudicialis, quatenus ea qualificata non est, ad torturam sufficiens indicium non est, nisi alia quædam concurrant adminicula.*

Inde quoque in hoc articulo certa quædam requisita adducuntur; quæ si adfuerint, confessio extrajudicialis indicium facere poterit: illis verò deficientibus non faciet indicium. Et quidem constare debet. 1. *De veritate confessionis seu jactationis de perpetrato delicto:* An nimirum aliquis

quis